





Vera effigies B.V.M. quæ ad normā primā Poesin in
Hungaria A. 1696 sapius Lacrimantis, ac dein Vietnam ab-
lata expressa, & in illius Loco relicta rursus A. 1715
Lacrimas profudit 31 July 1^o & 3 Augusti.

J. Phil. Binder. Sc. Bud. ce 1766.

VERA RELATIO

SUPER FLETU,

&

LACHRYMATIONE SECUNDÆ

SACRÆ IMAGINIS

POCSENSIS

BEATÆ MARIE VIRGINIS,

SEU

Quæ actu Venerationi publicæ exposita
in Possessione Pocs Inclyto Comitatus
Szabolctieasi (in Hungaria) adjacente
colitur,

Die 1ma, 2da, & 5ta Augusti anno 1715.
aberrimas Lachrymas profundens.



MAGYARAKÉRTÉK
KÖNYVTÁRA

CASSOVIÆ,
EX TYPOGRAPHIA LANDERERIANA:

Dux sunt Imagines Pocsenses Miraculis claræ B. M. Virginis; altera, quæ anno 1696. Mense Novembri per integros quatuordecim dies Lachrymabatur, Viennam delata est, ibidemque in Basilica S. Stephani Proto-Martyris actu Veneratur. Altera vero Pocsensis Imago B. M. Virginis (de qua hic sermo est) est ad similitudinem prioris Sacræ Imaginis Viennam ablata depicta, & in illius locum in eadem Ecclesia Pocsensi Græci Ritus Unitorum relicta rursus anno 1715. die 21ma. Julii (quæ erat dies Jovis) item 22da. & 25ta ejusdem Mensis juxta Vetus, juxta novum vero Calendarium 1ma. 2da. & 3ta Augusti uberrimas Lachrymas profundebat, & quidem ita, ut tempore fletus, & Lachrymationis, ejusdem Imaginis vultus nigredine, Oculi vero rubore obducti fuerint, quemadmodum id ex Inquisitione clarum est, cujus series est proxime sequens. Quod attinet dies Lachrymationis memoratæ Imaginis Sacræ: in Incunulis, & in Titulo *Testimonii Miraculorum* Typis mandati, exprimitur quidem dies 31ma Julii, 1ma, & 3ta Augusti: sed hæc varietas forsitan oriri poterat ex minus accurata Veteris, & Novi Calendarii supputatione.

Sequitur ipsa Inquisitio super fletu 2dæ Sacræ Imaginis Pocsensis B. M. Virginis, cujus originale actu conservatur in Archivo Episcopali Agriæ.

Nos Joannes Kifs Episcopus Ansa-riensis Venerabilis Capituli Ecclesiæ Agriensis Præpositus Major Illustrissimi Domini Domini Comitis Gabrielis Antonii Erdödy de Monyoró-kerék Episcopi Agriensis T.T. (T.T.) in Spiritualibus Vicarius, & causarum Auditor generalis, ac item Joannes Kifs Abbas B. M. V. de Egres præfata Ecclesiæ Agriensis Lector, alias etiam ejusdem Ecclesiæ Canonici recognoscimus, & sub puritate conscientiæ Nostræ referimus. Quod cum in audito rumore fletus, & lachrymationis Imaginis B. V. M. in Ecclesia Ruthenorum Græci Ritus Unitorum in Possessione Pócs Inclyto Comitatus Szabolcsensi adjacente habitæ ad similitudinem illius, quæ in Anno 1696. non ita dudum transacto, in eadem Ecclesia flevisse comperta, ac Viennam deportata fuisset, eodem tempore deportationis depicta ex Commissionem, & mandato prætitulati Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Domini Comitis & Prælati nostri gratiosissimi, ad sciendam, & inquirendam certitudinis veritatem in prædictam Possessionem Pócsensem exeundo pervenissemus: eo tum die 15.

præsentis mensis Augusti Anno labentis infra scripti, dictam Ecclesiam memoratæ possessionis Pócs accedendo, supra fatam Imaginem imprimis Illustrissimis, Perillustribus, ac Generosis Dominis titulis suis dignissimis Hermanno nempe Carolo Libero Barone ab Ogilir Sacr. Cæsareo Regiæque Majestatis Camerario actuali Colonello, & Inclyti Regiminis Ronevelliani pedestris ordinis Comendante, Carolo item Comite ab Orferi ejusdem Sacr. Cæsareo Regiæque Majestatis Inclyti Regiminis Montecuculani Catafractorum Capitaneo seu Equitum Magistro Paulo Leopoldo Siefs ejusdem Sacr. Majestatis Commissario bellico, nec non Joanne Georgio ab Agner altefatæ suæ Majestatis Sacratissimæ item bellico Commissario, & Reverendo in Christo Patre Geolsek Ordinis Minorum reformatorem S. Francisci Residentiæ Vardiensis Concionatore, aliisque quam plurimis ibidem præsentibus in vestigando nullum dolum, aut fraudem, propter quæ memoratus fletus, & lachrymatio Imaginis contingere potuisset, advertimus. Ex post vero ad mandatum nostrum Parochus, & Ludi-Magister, antelatæ Possessionis Pócs super fletu, & lachrymatione ejusdem Imaginis B. M. V. ibidem existentis talem seorsivam, præprimis Ruthenico, ex post eodem in Ungaricum, nunc vero in Latinum transmutato Idiomate, confectam scriptotenus nobis


nobis exhibuerunt relationem. Cujus quidem Parochi relationis genuina series esset hæc. Anno 1715. die 21. Julii (juxta vetus Calendarium) quæ alias esset dies prima mensis Augusti juxta novum Calendarium.

Ego infra scriptus cum juxta Ritus Nostri Græci consuetudinem cum meo Ludi-Magistro ad recitandum Matutinum in Templum perexissem & sub Matutino quidam puer Studiosus Horas etiam paulatim legisset, dictus autem Ludi-Magister Epistolam etiam pariter legendo absolvisset, ac ego quoque Evangelium decantassem, inter has quidem devotiones, nihil in Imagine adverti, verum absolutis iisdem devotionibus me ex Templo exire volentem idem Ludi-Magister interrogasset, Nunquid hodie Imagines aspersissem? cui reposui vidisses utique me illas aspersisse, ego non non aspersi, ecce! inquit, mihi Ludi-Magister, in Icone B. V. M. exstat gutta, extunc ego quoque aspiciens eandem Imaginem, rem ita se habere expertus sum: quo comperto inter nos colloquimur, invigilandum esse, quidnam inde eventurum esset, forsitan fiebat Imago, sed non advertentes dicimus invicem, ex post etiam in Lucem prodibit hoc, dum itaque ex Templo egredientes fores ejusdem clausissemus, ac post aliquam temporis moram ego me rursus in Templum contulissim, præfatam



Imaginem B. M. V. pulcherrimis, ac purissimis ad instar coloris argentei lachrymis flere conplexi, quo viso Ecclesiam egrediens, ac id ipsum prærepetito Ludi-Magistro, & ejusdem Socero Eliæ Zisko nuncupato, nec non Ladislao Lakatos Socero meo notificans, una cum iisdem rursus Templum regredior, & revera eo tum etiam in conspectu omnium Nostri eadem Imago flevit, ex dextro quidem guttæ ad instar magnitudinis pisi, ex sinistro, vero oculis solum parvæ prodierunt, quod die Jovis accidisset. Ex post Templo egredientes de re invicem consultavimus, quid factu consultius esset, nam hoc Germani rescient, sic Domino Vicario Nostro Kalloviam Literas eatenus mittendas esse, ut nos hoc in passu dirigeret, judicavimus, quæ quidem missæ, dictus vero Dominus Vicarius domi suæ repertus non esset (hoc uti præmissum esset) die Jovis usque ad Meridiem accidisset; cujus rei fama quodammodo Kalloviam perveniente, ex Germanis hic Loci existentibus tres Templum ingredientes, licet de fletu ejusdem Imaginis prævie nihil quidpiam scivissent, extunc tamen eandem omnino flevisse cognoscentes, mox ad diversorium accessissent, ac ibidem existenti Familiæ Illustrissimi Domini Supremi Commissarii Siefs, id ipsam ad notitiam dando, militibus etiam Germanis, in hoc Loco existentibus, idem miraculum

re-



rescientibus, Dominoque item Postarum Magistro Kalloviensi, huc appellente ejusdem Imaginis Lachrymæ, nec dum siccæ factæ fuissent, hoc (ut jam prædictum esset) actum fuisset die Jovis, id est 21. Julii juxta vetus Calendarium. seu prima Augusti juxta Novum. Ex post sequenti die, id est Veneris, cum pariter ad absolvendum Matutinum in Templum intrassemus, nec dum eo tum etiam aridæ fuissent factæ dictæ Imaginis Lachrymæ. Verum absoluto Matutino, & Officio B. M. V. decantato advenientibus Ludi Magistro ejusdem Loci cum Conforte sua, & Stephano Görögh quæstore, ac coram eadem Imagine B. M. V. orantibus eo tum nullus ejusdem fletus visus fuisset, quod dum finitis in Templo devotionibus, Molitor præmentionatæ Possessionis Pócs ad prandium invitasset, ego autem rursus uti prævie die Jovis, ita etiam die eadem, circa horam Nonam Templum ingressus fuissim, eo tum quoque cerno Lachrymas, ex dextro Oculo ejusdem Imaginis magnopere prodire, quo viso id ipsum, me præsciis personis, Kalloviensibus, & compluribus aliis intimante conpleximus plurimi ad Templum confluentes, sæpe fatam Imaginem valde flere, quod etiam in prænotato diversorio commorantibus notificatur indeque complures, etiam Germani cum Personis mulieribus Templum ingrediendo; iidem quoque pro

A 4

certo

certo viderunt, eandem Imaginem flere; Quo facto dum Caupo hujus Loci eidem, qui ad Oppidum Nyir Bathor proficisci, ac Illustrissimæ Dominæ Kobilkajanæ rumorem fletus Imaginis referre vellet, marianum appromitteret; eotum ipsa hora eadem Illustrissima Domina cum reliquis Germanis (quorum numerus ignotus esset) ad Templum comparendo diu conspectam Imaginem, eorundem singuli, viderunt eandem lachrymari, adeo, ut ex facie ad corollare eidem appensum, ex corollari ad orbiculum stanneum sub eadem existentem binæ guttæ: quarum signa in eodem orbiculo etiam nunc extarent, decidissent. Circa meridiem iterum nos ingredienti Templum, plurimique Germanorum, & Judlium etiam Inclyti Comitatus Szabolcsensis Nicolaus Nyárody A catholicus appellentes viderunt nobiscum, eandem Imaginem lachrymari, dixitque idem Dominus Judlium, propriis hoc ipsum oculis meis cerno, cujus per me visi fletus etiam Inclyto Comitatu relationem sum facturus, ex post Balthasar quoque Tisza nominatus Nobilis pariter A catholicus cum sua Conthorali, & alter nomine Molitoris vocatus huc appellantes ipsimet etiam viderunt lachrymationem ejusdem Imaginis. Verum circa Vesperam adveniente etiam Illustrissimo Domino Supremo Commissario, jam eo tum
in

in Labiis tantum dictæ Imaginis, quasi in binis locis visa est madiditas, quæ visiones fletus, & Lachrymarum die Veneris, madiditas autem in eadem Imagine, usque ad diem immediate sequentem Sabathi visa fuisset, ipso autem die Sabathi nihil.

Die 25. Julii id est: die Lunæ in Festo S. Annæ juxta Vetus, juxta Novum autem Calendarium die 5. Augusti Francisco Papp Parocho Karafzenfi devotionis suæ erga B. V. M. peragendæ causa appellente, & coram eadem Imagine, lat diu orante, eo tum nihil est observatum, verum Templum egressi, ac cum eodem Francisco Papp ad domum Braxatoriam, quidpiam ibidem sibi agendum habente accedendo: dum inibi aliquandiu morati indeque reversi ante Domum meam aliquantisper sedissemus, dico nobis invicem, ad Templum inspicendum esse, quidnam ibi esset? quo cum me euntem Germani quoque secuti essent, iisdem in Templo relictis, prænominatum Franciscum Papp proclamo, & in diversorio quoque habitantibus Imago denuo flevisse notificatur, appareret enim in facie, pectore, & manu ejusdem, ac in Orbiculo etiam supposito binæ magnæ guttæ existerent, quas etiam idem Franciscus Papp ex eodem Orbiculo materia detergendo secum accepisset, a quo tempore



usque in præsentiarum nihil vidimus, hoc ita est.


MICHAEL PAPP

Parochus Pocfensis.

Relatio vero præserti Ludi-Magistri Pocfensis genuina sequitur in hunc modum.


Anno 1715. die 21ma. Julii juxta vetus, juxta novum autem Calendarium prima Mensis Augusti, ego infra Scriptus recognosco, quod cum juxta ritum nostrum ad Matutinum cum Parocho Templum ingrediendo post ab olutionem horarum Epistolam finire ac Parochus Evangelium legere inchoaret, ego autem interim ex choro vadens, ad Imaginem B. M. V. ibidem orarem in qua conspicua cerno guttam, qua visa intra me disquiro, quid hoc esset? Quæro ex Parocho jam devotionem absolvente, & ex Templo exire volente, an non aspersisset hodie Imagines aqua benedicta? Qui mihi reposuit se illas non aspersisse, vidisses utique si illas aspersissem? Monstro eadem quam gutta sit illa, quæ videtur in Imagine B. V. M. hoc utique videmus ita esse, ac invicem nobiscum colloquentes, fortassis Imago flevit? nos autem minime observavimus, revelabitur hoc, ajimus, dummodo inigilemus, hoc facto egredientes, Templum clausimus. Post aliquam temporis

moram



moram Parochus iterum intrans Templum videt ipsam Imaginem flere, meque adiens inquit, Magister vade modo in Templum, & videbis Imaginem flere, adquæ eidem repono, non eamus soli, duos itaque senes viros adducentes nobiscum, vidimus eandem Imaginem ambobus oculis lachrymari, ex dextro quidem albas ad instar Christalini deases, è sinistro vero oculis tantum sensim prodire lachrymas; quibus visis nos invicem consulimus, quid factu opus esset? scribamus literas Domino Vicario nostro, quid Consilii daturus esset? qui quidem Dominus Vicarius Domi suæ repertus non esset, interea tamen Germani coeperunt undique confluere, lachrymatio vero usque in præsentiarum non exaniisset.


Die 22da. Julii juxta ritum veterem, id est die veneris, alias secunda Augusti juxta novum Calendarium pariformiter dum ad absolvendam devotionem nostram matutinam eundo, officium quoque B. M. V. Solenniter decantassemus, & ex Templo exivissemus, circa horam nonam iterum ingreditur Parochus Templum vidensque Imaginem flere significat id ipsum mihi, apud Socerum meum cum Ludi-Magistro Kalloviensi Joanne Arányossy, & ejusdem consorte, Stephanoque Görögh, ac aliis quoque viris, alibi degentibus, in prandio constitis,



tutis, quo intellectu & prandio relicto ad Templum properantes, vidimus Imaginem incessanter flere Templumque plenum Germanis, ac rusticis Illustrissima quoque Domina Kobilkajana adfuit. Orantibus autem nobis cum timore, & tremore ad B. V. M. Imago flevit circiter per unam horam, ipsæ vero lachrymæ non exanierunt etiam ad diem sequentem, id est ad diem Sabathi, Verum die Sabathi & Dominico nihil vidimus. Quod verodie tertia id est 25. Julii more veteris 5. Augusti juxta novum Calendarium non viderim, solum audiverim negotium, ratio esset, eadem die me domi non fuisse.

JOANNES MOLNAR
Scholæ Magister Pocsentis.

Qua relatione tam à Parocho, quam Scholæ Magistro seorsim nobis in scriptis data noviter a nobis interrogati, utrum juramento suo relationis suæ continentias in omnibus suis punctis, & clausulis firment, item num hanc relationem sibi invicem non communicaverint? ad quæ juramentum suum deposuerunt, primo quod omnia, & singula, ita facta, & acta fuerint, prout in relatione sua exposuerunt, secundo jurarunt & super eo, quod præmissam relationem suam sibi invicem nullatenus communicaverint, sed erga mandatum nostrum quilibet
rela-



relationem suam ita fecerit, prout rem contigisse scivit, & expertus est. Post hoc ipsorum juramentum iidem examinati sunt etiam ad sequentia.

Puncta interrogatoria proposita prædictis, Parocho, & Scholæ Magistro Ruthenorum Pocsentium die 18. Augusti 1715. anno Kalloviæ.

1mo. Fateatur uterque subjuramento, & fide Deo debita utrum fraus aliqua, aut dolus, seu arte, seu magia, vel alio quocunque modo per ipsos, aut per aliquem eorum quacunque praxi non sunt commissa circa Imaginem ejusque fletum (de qua est sermo) quibus ea ad lachrymandum concitata fuisset, verum perse Imago, ac absque humore aut liquore per ipsos, aut alterutrum eorundem, aut quempiam alium quomodolibet adhibito ac applicato, prima, & aliis vicibus lachrymas ex oculis elicuerit?

2do. Utrum prævie antequam advertissent illachrymationem, & ex post absque scitu eorundem vel alterutrius ex ipsis nemo clam, vel palam Ecclesiam ingressus sit, qui circa Imaginem aliquid ex præmissis in priori puncto perpetrare potuisset?

atio.



Secundus testis Joannes Molnár Græci Ritus Ecclesiæ Pocsensis Rector, seu Scholæ Magister annorum 28to. fide mediante fatetur ad primum nec ipse solus neque cum Patre ullum dolum, fraudem, & practicam ex arte, aut magia aliqua commisit ullomodo, sed neque Patrem modernum clam commississe; aut per alium patrari fecisse sciret, perque dictus fletus, & Lachrymatio elicita fuisset, neque etiam ipse fatens eandem Imaginem ulla madiditate affecisset, aut per alium quoque affici curasset. Non secus etiam præ repetitum Parochum, vel minima quocunque nomine vocitanda madiditate, aut humore eandem Imaginem affecisse haud sciret, neque sibi persuadere posset; cum ipse etiam fatens circa Templum, acuratus existens eidem bene invigilaret; uti primariam etiam guttam idem fatens primo observans dicto quoque Parocho ipse revelasset. Idcirco judicat & sibi persuadet perse, non autem aliqua extranea praxi eosdem fletus, & Lachrymas ortas fuisse, prout eatenus provocaret se ad uberiores ejusdem præviam scripto porrectam relationem. Ad secundum: nec prius, nec posterius alter, aut tertius absque scitu fatentis defacto intravit, nec intrat, & ipse fatens ex parte sua facit affecurationem, cum scitu ipsius talem minime intrasse de ministris Ecclesiæ simi-



similis opinionis. Ad Tertium: fatens ab annis jam duobus ibidem serviens, eandem Imaginem per neminem alium, nisi nunc per prætitulatum Dominum Præpositum Majorem Agriensem commotam fuisse.


Item sequentia puncta interrogatoria tam Parocho, & Scholæ Magistro, quam aliis circa fletum ejusdem Imaginis proposita sunt, juxta quæ fateatur Testis sub juramento, & fide Deo debita.

1mo. Utrum viderit flere, & Lachrymari Imaginem, & qua die, quo tempore, & quamdiu?

2do. Describat fletum illum circumstantialiter, an fuerit guttatum omnino, & admodum fletus, & an guttæ copiosæ, an ex canali oculi unius, an utriusque, an ex uno copiosius, & quo, vel utroque æqualiter?

3tio. An Testis circa fletum Imaginis non sciat, aut adverterit dolum, vel fraudem aliquam, aut non observaverit circumstantiam aliquam, ex qua rationabiliter de dolo, & fraude suspicari potuerit?


4to. An Testis pensatis omnibus omnino circumstantiis judicare, ac sibi firmiter persu-



svadere potuerit, fletum, & lachrymationem illam absque singulari Dei miraculo fieri non potuisse?

Juxta quæ puncta idem quoque Parochus Pochiensis fide jam prævie deposita mediante examinatus fassus est ad primum: se vidisse flere, & lachrymari eandem Imaginem prima vice prima Augusti, id est die Jovis, Anni labentis 1715. mane circa horam nonam, sed quamdiu flevisset, pro certo scire non posset, siquidem ex post clauso Templo: potius in eo consultassent, qua modalitate possent idem negotium Domino Generali Vicario suo notificare, nec voluissent idem, antequam dicto Domino Vicario suo intimarent, promulgare; die tamen eadem tum ipse solus, tum vero cum suo Rectore Templum intrando vidit lachrymas, & fletum ejusdem Imaginis plane ad pectus, & manus ejusdem uberrime disfluere, & dispergi inter reliqua dum fatens, quadam vice Templum intrasset, tribus etiam Germanis (Si quidem militia antea quoque coram eadem Imagine devotiones suas absolvere consveta fuisset) intrandi licentiam a fatente obinentibus, licet idem fatens nihil monstrasset iidem tamen fletum Imaginis advertentes absolutis Devotionibus suis, cum admiratione ex Templo exiere; de nominibus, & Personis eorundem eidem ignoti circa vesperam etiam


ea-



eadem die, tametsi certum esset quemvis vidisse propter fletum Imaginis in facie ejusdem diffusam & dilatatam madiditatem, inter cæteros advertit Dominum Postarum Magistrum Kalloviensem, & Cauponem Pochiensem. Sequenti die, id est 2. Augusti, seu die Veneris mane more consveto etiam ad matutinum pergens cum prærepetito Magistro suo, nec non parvulis, ita etiam cum Ludi-Magistro Kalloviensi, & Conforte ejusdem, ac Stephano Gôrôgh ad Templum, etiam apparuit in facie Imaginis propter Lachrymationem madiditas, ex post ex Templo ad hospitium euntes, fatens autem binis vicibus intrando Templum invigilavit, sed nihil novitatis eorum advertere potuit, verum tertia vice uti præcedenti die quasi circa horam nonam matutinam rursus intrando cum primis januam Templi apperuisset, adhuc a longe vidit lachrymas deciduas, ex dextro oculo dense decurrere, & ad instar Chrystalini illas stilare, quibus visis clausit januam, cumque festinatione convocavit homines, signanter Kallovienses, & Cauponem, interim alii etiam complures id ipsum advertentes concurrerunt ad Templum tam in ordine militari, quam etiam alio statu existentes, videruntque suis oculis una cum fatente eodem ex dextro oculo ejusdem Imaginis densas, & copiosas lachrymas effusas fuisse ita, ut ad ligulam,

B 2

&



& Corollare in pectore Imaginis existentia una major, altera minor guttæ defluentes plane ad Orbiculum stanneum sub eadem Imagine collocatum decidissent, quarum siccefacta signa etiamnum in eodem Orbiculo extarent: hic autem fletus per unam longam horam durasset usque dum Officium B. V. M. decantassemus in præsentia populi, imo cum fatens una cum populo ex templo exivisset, eorum etiam flere relicta esset Imago, licet non adeo quam ante, ex post appellens etiam Judium Inclyti Comitatus Szabolcensis Nicolaus Nyaradi A catholicus, is etiam suis oculis videre potuit adhuc aliquot guttas in oculo Imaginis id est infine oculi penes nares, prout Lachrymæ ex oculo fletis alicujus provenire solerent, madiditas autem in facie ejusdem sub oculo visa est tota die, imo dum mature ad pulsandum ingressi fuissent Templum, & ibidem in orando persisterent, visa est adhuc aliquantisper circa finem labii dextri Imaginis, una longius defluens gutta ad instar longitudinis aciculæ minoris, quæ etiam usque dum ipsorum devotio durasset, exsiccata est. Diebus autem Sabathi, & Dominica nihil vidit fatens, verum immediate sequenti die Lunæ, id est 5. Augusti pariter more consueto fatens ad matutinum eundo eorum quidem nihil vidit. Expost vero appellens Franciscus Papp

Paro-




Parochus Karaszensis ad peragendam devotionem suam erga B. V. M. eadem aboluta ex Templo egrediens, aliaque negotia sua perficiens, quibus peractis ante Domum fatentis, sedendo dicit fatens ut inspiciam Templum (quod fuit circa horam secundam pomeridianam) cum quo Templum ingrediente milites etiam Germani intrarunt, quos etiam ibidem permisit, viditque idem fatens eo tum ex oculo Imaginis derivatam madiditatem in facie in que Collari, & monilibus in pectore ejusdem existentibus splendere, unamque majorem guttam in manu etiam dextra, non secus etiam in orbiculo stanneo sub Imagine duas deciduas guttas, quarum quidem defluxum dum vidisset quoque prænominatus Pater Franciscus Parochus Karaszensis ex orbiculo palla detergens secum accepisset, nunc vero Kallovix existens referendo restituisset, eadem madiditas seu humor sensim sicce fiens expost quamvis invigillasset, nihil tamen observasset. Ad secundum: provocaret se ad passionem juxta priora puncta factam. Ad tertium: nullam fraudem, & dolum advertit, aut quidpiam tali observavit, propter quod de aliquo, aut fraude suspicari potuisset, prout in hoc etiam ad præmissas passionem suas se provocaret. Ad quartum: omnibus pensatis judicavit, & sibi persuasit illum

B 3




illum fletum non potuisse fieri absque speciali Dei miraculo.

Prænominatus autem Scholæ Magister ad eadem posteriora communia puncta pariter jam prævie deposita fide mediante factus est. Et quidem ad primum: vidit flere, & lachrymari Imaginem die prima Augusti Anni præsentis 1715. mane Templum ingrediendo circa horam quintam matutinam dum absolutis divinis exire vellent, interrogat Parochum fatens nunquid aspersisset Imagines? respondit ei: vidisses, si aspersisses, ego non aspersi, qualis ergo inquit fatens: est humor iste in Imagine B.V.M? Parochus eo tum cum stupore conspiciens Imaginem, rem ita esse experitur, quo in negotio discursum moventes fortassis ajunt, flevit Imago, sed nos non observavimus, huic invigilare nos oportet, his egressi Templum. Expost per breve tempus denuo Templum ingrediens Parochus vidit Imaginem flere, & tunc quantoties egrediens accessit Studiofum, & me scholæ Magistrum, audis? inquit, flet Imago, ego ajo, ergo adducamus nobiscum homines, prout & adduximus nobiscum socerum meum Eliam Zifsko, & socerum Parochi Ladislaum Lakatofs pro Testimoniis, aliis tam subito minime reperitis, qui quidem Imaginem minime lachrymari fuissent experti, ex cujus dextro pura
tan-




tanquam Chrystillum, ex sinistro vero oculis paucæ duntaxat lachrymæ deciderunt, qui fletus una circiter hora duravit. Post hæc consultantés invicem, quid debeant facere, id inter se adinvenerunt, ut scribant Kalloviam Generali Vicario suo, nam ejusdem negotii rumorem eousque vulgo spargere noluerunt; Attamen die eadem Parochus tum solus, tum vero cum fatente, sæpius ingrediens Templum, vidit fletum, & lachrymas ejusdem Imaginis plane ad pectus, & manus copiose defluere, & dispergi, deinde id rescientes Germani post meridiem venerunt, & etiam lachrymationem: Item secunda Augusti, id est die Veneris eodem modo procedentibus ad matutinum, nihil novi in ipsa Imagine, præter signa madida in Imagine lachrymarum apparuit, egredientes Templo, ad hospitia sua perexerunt. Dum autem Joannes Molnár, Ludi-Magistrum Kalloviensem, una cum uxore ejusdem & Stephano Görôgh, ac fatente ad se pro prandio accerferet, interea Parochus iterato Templum ingressus, quem etiam Germani fletus Imaginis ignari sequentes, ac ipsimet ex sese videntes, eandem flere obstupuerunt, quibus ibidem relictis Parochus advocat Prædictos Kallovieneses, quibus etiam interrupto prandio subito ad Templum accedentibus visæ sunt fletus Imaginis copiosæ Lachrymæ ad pectus, & manus
B 4 ejus-



eiusdem diffusæ adeo, ut ex monilibus etiam ad orbiculum binæ magnæ guttæ decidissent, quarum guttarum signa etiam nuncjñ orbiculo apparere esset. & usque dum preces durassent, Imaginem flere vidissent, licet non tam copiosis lachrymis quam ab initio, lachrymæ tamen, & humores ex post etiam visi sunt, diebus vero Sabathi, & Dominico fatens nullum fletum vidit, neque die Lunæ existens domi, ab aliis audivit negotia, quæ precedens fatens falsus fuisset, ita contigisse. Ad secundum: provocat se fatens ad passionem suam juxta præcedentia puncta factam. In ordine ad alia puncta provocat se etiam ad priora.

Tertius Fatens Joannes Molnár Pocsensis Jurator annorum circiter 70. Juratus examinatus fatetur ad primum se vidisse die veneris secunda Augusti circiter 9. vel 10. hora ex ambobus oculis Imaginis fluxisse Lachrymas, sed ex dextro magis copiosius prodierunt Lachrymæ, & siquidem Imago multis monilibus exornata fuisset, in illis Lachrymæ præpeditæ fuissent, attamen adhuc etiam per illa penetrantibus Lachrymis, plane ad orbiculum binas guttas deciduas, propriis oculis vidit fatens, quarum signa, etiamnum in orbiculo exstarent, Imaginis autem Lachrymatio diu duravit, sed circa vesperum cessavit fluxus, nihilominus tamen Lachrymæ duntaxat visæ sunt




sunt esse madidæ, non autem fluxerunt; in cuius Imaginis fletu nullam fraudem, aut magiam observavit fatens, sed divinæ solum virtuti imputatur, & adscribitur.

Quartus Testis Georgius Osiptak, Pocsensis annorum circiter 60. Juratus examinatus fatetur per omnia, uti Tertius Testis.

Quintus Testis Stephanus Szaráz Pocsensis annorum circiter 60. Juratus examinatus fatetur per omnia, uti tertius, & quartus fatens, siquidem secunda Augusti una etiam ingressi fuissent Templum.


Sextus fatens Franciscus Papp Parochus Græci Ritus Unitorum Karasziensis annorum 24. Juramento proprio factus ad primum, & secundum: quod in audito rumore fletus Imaginis Pocsensis B. M. V. cum desiderio properavit illam videre, pro ut & quinta Augusti, anni modo currentis circa horam tertiam pomeridianam accedendo vidit ex dextro oculo eiusdem effluxisse unam guttam, pluresque guttas; in dextro vultu, pectore, & dextra manu Imaginis directe defluxas exstitisse, velut ex oculis eiusdem prodierunt, ac quales duæ guttæ ad orbiculum eadem die decidissent, easdem ipse fatens ex eodem orbiculo deseruit, ad tertium: dubitavit, cum rumore



rem fletus in audivisset, verum cum vidisset nihil dubitavit, neque ullam fraudem observavit, ad quartum: ideo sibi persuasit, judicavitque non esse aliud, quam miraculum Dei.

Septimus Testis Joannes Arányófsy, Rector Scholæ Ruthenorum Kolloviensium annorum circiter 33. Juramento deposito fatetur ad primum: se vidisse flere, & Lachrymari Imaginem die 2. Augusti mane circa horam nonam. Ad secundum: vidit ad utrumque oculum Lachrymari sed multo magis ad dextrum oculum velut una major gutta plane ad mentum Imaginis defluens, indeque ad monilia descendit, & ex illis binæ guttæ ad orbiculum stanneum deciderunt. Ad tertium: dum primo vidisset Imaginem a fletu præcedentis diei esse madidam, suspicabatur per fraudem aliquam, aut communem alium casum esse madidam, verum ex post propriis oculis expertus fletum, & Lachrymationem Imaginis, nihil dubitavit in ullo, nec ullam fraudem esse judicare poterat rem manifeste expertus. Ad quartam: ruminatis omnibus circa fletum ejusdem Imaginis, non aliud esse judicare potest, sibi que persuadere, quam fletum per miraculum Omnipotentis Dei factum esse.

Octava




Octava Testis Maria Fogarasshy Ruthena unita, uxor testis præcedentis annorum circiter 26. fide mediante per omnia sicut maritus ejus fatetur.

Communiter fatentur testes vultum Imaginis, dum fleret, & lachrymaretur fuisse mutatum, ita, ut nigrior apparuerit, & albumen oculorum in rubrum immutatum sit, item quod summus fuerit coram sacra Icone fletus populi.

Nonus Testis Mathias Kroph Postæ Magister Kolloviensis Catholicus, annorum 38. Juratus examinatus fatetur ad primum, & secundum: non vidit quidem fletum, sed animadvertit Imaginem flevisse, siquidem apparuit, & quod Lachryma illa, quæ prima Augusti circa vesperum plane in dextro oculo eidem exstitit, sequenti die in mento ejusdem visa fuisset, ac præterea observavit etiam in pectore binas guttas, non secus etiam dextra manu unam guttam; ad Tertium: non advertit in hoc negotio, neque sciret ullam fraudem, neque observavit tale quidpiam propter quod suspicari potest. Ad quartum: pensatis omnibus non aliud judicat esse, ac sibi persuadet fuisse miraculum Dei.


Decimus Testis Wenceslaus Szabolzky Annorum circiter 34. Juratus examinatus fate-



fatetur ad primum: se die Jovis præsentem non fuisse dum Imago cœpit flere, sed circa vesperum cum Illustrissimo Domino Kobilkay existens in Templo, viderunt signa, id est madiditatem sub oculo & mento infra dextrum Oculum, verum altera die id est: 2. Augusti circa horam septimam ingrediens Templum cum cæteris hominibus, videt Imaginem copiosis lachrymis flere, & ex dextro oculo etiam ad manus, & orbiculum decidisse guttas vidit, sed cum illuc decidissent, non intuebatur, hic autem fletus Imaginis duravit ab hora septima usque ad aliquot post decimam horam tempus æqualiter. Ad Tertium: nihil advertit, neque ex aliqua scientia in contrarium potuit opinari. Ad quartum: fatetur fatens ipsummet etiam voluisse & revolvisse mente, ne forte per aliquem aqua fuisset aspersa, illum tamen scrupulum suum, per id sustulit: aqua utique ait, cito exsiccari solita est, sed hoc tamdiu in eadem madiditate durante, rem solum Deo adscribere debeo.

Undecima Testis Elisabetha nominata jam præfati Joannis Molnár Consortis Annorum 40. jurata examinata fatetur die secunda Augusti, id est Veneris circa horam septimam, se cum reliquo populo in Templum ingressam vidisse suis oculis, ex dextro oculo Imaginis descendentem lachrymationem plane

in




in manu ejusdem stetit, & adhuc infra finistrum oculum quoque madiditatem splenduisse, sed quamdiu durasset earundem lachrymarum madiditas, nesciret, nam ex Templo egressa esset. Ad tertium: nullam fraudem, aut dolum, Imaginari poterat fatens, in ejusdem Imaginis lachrymatione, solum tamen divinam potentiam in eadem experta est.

Item sequuntur Attestationes per infra scriptos Admodum Reverendos Dominos duos de, & super fletu ejusdem Imaginis collectæ Tenoris infra notati.

Nos infra scripti recognoscimus per præsententes, quod nos vigore mandati Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Joannis Kiss Episcopi Ansfariensis V. Capituli Ecclesiæ, Agriensis Præpositi Majoris, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Domini Comitis Gabrielis Erdödy de Monyoró-kerék Episcopi Agriensis T.T. (T.T.) In spiritualibus Vicarii, & Causarum Auditoris Generalis ad possessionem Pócs in Comitatu Szabolcsensi existentem, & habitam accedendo juxta infra declarata puncta talem uti sequitur peregrinus inquisitionem.

DE



DE EO UTRUM

Primo Vidit ne fatens B. M. V. Imaginem Pócsiensem revera flere?

Secundo Quando? quot diebus flevit? & quandiu duravit?

Primus Testis Balthasar Tisza A Catholicus juratus examinatus fassus, Nobilis Persona annorum 40. vidit hic fatens una cum Uxore sua Elifabetha Kormos semel die Veneris nimirum secunda Augusti, in mento vultus Imaginis duarum guttarum Argentei coloris lachrymationem ex utraque parte fuisse.

Secundus Testis Simeon Diak ædituus Græci ritus Juratus examinatus fassus annorum circiter 60. vidit fatens infra oculum Imaginis aquatici coloris guttas, usque ad mentum fluxisse binis vicibus diebus, Jovis, & Veneris.

Tertius Testis Elias Zifsko juratus examinatus fassus Annorum 70. vidit 2. Augusti, id est die Veneris infra oculum, ex una parte guttas albi coloris ad instar aquæ ad manus Imaginis fluxisse.

Quar-



Quartus Testis Joannes Molnár Ivanus itidem nuncupatus Annorum 30. Incola Pócsensis Juratus examinatus fassus, vidit semel fatens die Veneris infra oculum in vultu ejusdem unam guttam ad Orbem deciduam.

Quinta Testis Christina Kékkövi Confors Ladislai Szakoltzy educatrix Pócsensis, jurata examinata fassa est annorum 22. vidit fatens oculis suis binis vicibus, diebus Jovis, & Veneris, ex dextro oculo Imaginis cum fluxu fluxisse albas lachrymas, flevit revera Imago, ita videbatur quasi ruber fuisset oculus ejusdem, vidit etiam tres guttas ad orbem deciduas.

Sexta Testis Anna Catharina Zambosky Conjux Friderici Emínyér jam dimissi Cæsarei militis annorum 30. Jurata examinata fassa est, diebus Jovis, & Veneris prima: & secunda Augusti suis oculis vidisse fletum Imaginis, cum fluxu utique fluxerunt lachrymæ, et ita etiam apparuit, quasi ruber fuisset ejusdem oculus, in orbem etiam deciderunt tres guttæ.

Omnia hæc præsentia sic esse fassa nos infra scripti testamur, in puritate Conscientiæ nostræ Sacerdotalis in Pago Pócs die 18. Augusti Anno 1715.

Geor-



Georgius Lorinczfy Plebanus Maden-
fis mpp. (L. S.)

Mathias Francz Plebanus Talyensis
mpp. (L. S.)

Quorum quidem præmissorum testium
fessiones; & attestationes prævio modo col-
lectas, & prænotatas ab Admodum Reveren-
dis Dominis taliter relatas coram nobis,
rursus in & ad faciem ejusdem Possessionis
Pócs accedentibus, authenticatas esse præ-
sentibus attestamur. Item attestamur etiam
hos quoque testes ad secundum, & terti-
um puncta, *de eo utri secundi ordinis* in-
interrogatos coram nobis falsos fuisse, se
nullam fraudem, aut practicam circa fletum
ejusdem Imaginis commissam esse, scire,
aut advertisse, verum sibi firmiter persua-
dere non secus, quam per Miraculum Dei
eundem contigisse.

Super quorum quidem Testium fessionibus,
& attestationibus, ac rescitæ veritatis
præmissorum serie, præsentis literas meas
recognitionales relatorias subscriptionibus,
& sigillorum nostrorum appressionibus mu-
nitas dedimus, & prætitulato Illustrissimo
Domino Domino, & Reverendissimo Præ-
lato nostro Gratiissimo demisse præsentavi-
mus.



vimus. Datum Agriæ Die 25. mensis Au-
gusti Anno Domini 1715. prænotato.

JOANNES KISS

Electus Episcopus Ansariensis, Abbas
de Monyorod Præpositus Major & Ca-
thedralis Ecclesiæ Agriensis Canonicus,
ac per eandem Diocesim Vicarius Gene-
ralis Sacratissimæ Cæsareo Regiæ Majestatis
Consiliarius. mpp.

(L. S.)

JOANNES ANTONIUS KISS

Abbas B. V. M. de Egres Lector, &
Canonicus Agriensis. mpp.

(L. S.)

TESTIMONIUM

SUPER

Approbatione Miraculorum Secundæ

SACRÆ IMAGINIS

BEATÆ Mariæ VIRGINIS

PÓCSENSIS

S E U

Actu in M. Pócs existentis Anno 1715:

1. 2. & 5. Augusti uberrimas lachrymas
profudentis.

Admodum Reverende Domine!

Ex quo nuperus Imaginis Pócsensis fletus juxta seriem peractæ Inquisitionis verus omnino ita se habens, ac supernaturalis inventus, ac per me, qua ordinarium confirmatus esset; ea propter in legitima mei absentia duos hodie é gremio V. Capituli mei, videlicet Reverendissimum Dominum Joannem Kifs Lectorem, & Reverendissimum Dominum Joannem Demeter Cantorem, Cathedralis Ecclesiæ meæ Agriensis, tanquam Plenipotentarios meos Pócsinum, eum in finem exmitto: ut illi dictam Deiparæ Imaginem pro publico fidelium cultu, ac Veneratione libere

libere in Domino exponere possint, ac valeant. . . . Cæteroquin subalternis suis, ac specialiter Ecclesiæ, Imaginisque Pócsensis Janitoribus, ac servitoribus, omnem erga dictam Iconem pietatem, vigilantiam, custodiamque serio committi, inculcarique velim, qui sum, & maneo Ejusdem Dominationis Vestræ Admodum Reverendæ Parens Addictissimus Comes Gabriel Antonius Erdödy Episcopus Agriensis. Agriæ die 19. Septembris 1715.

Admodum Reverendo Domino Georgio Bzancy Plebano Kalloviensi, nec non meo in spiritualibus inter Græci Ritûs Unitorum Clerum & Populos Generali Vicario Kalloviæ.

Præsentem Copiam Originali suo in Archivo Episcopali conservato in omnibus, quantum attactum meritum concerneret, adæquatè conformem, in nulloque auctam, aut imminutam esse infra scriptus testor. Munkács 29. Maji 1775.

ALEXIUS ILKOVICS,

Incltyti Comitatus Bereg Archi-Diaconus
& Cancellarius Episcopalis. mpp.

(L. S.)

DEVOTA

Poenitentis Peccatoris ad Lachrymantem
Gratiarum Matrem

P O C S E N S E M

O R A T I O.

Contrito, ac humiliato corde provolvor
Sacratissimis pedibus, Tuis ô pro me
misero peccatore Lachrymabunda, Pientissi-
ma Misericordiæ, ac Gratiarum Mater
MARIA! proh! quis alius Tuas istas tam
accerbas, ac uberes Lachrymas è Maternis
Tuis Oculis expressit, nisi gravissimum in-
numerabilium, ac abominandorum pecca-
torum meorum Pondus! Maternus Tuus
erga me indignissimum commiserationis af-
fectus, hunc Tibi Lachrymarum Torren-
tem prolicuit, cum probe adverteres, me
propter tam enormia scelera mea haud du-
bie æternum periturum, ac in abyssum In-
fernalium panarum præcipitandum prævide-
res, hinc mihi jamjam deperdito, optimo,
quo poteris modo succurrere, atque ita
inocentissimis Lachrymis tuis Succensum
jam contra me Divinæ Justitiæ furorem
sopire, & promeritas ignis æterni poenas
extinguere es conata. Eja ergo, ô Christe
JESU! Matris Misericordiæ Fili Miseri-
cordissime! respice piissimas Tuæ propter
Salutem meam mœstissimæ Lachrymas

Ma-

Matris, & miserere mei! respice ô mitif-
sime JESU, ô Fili pro me tam acerbe
Lachrymantis Matris Tuæ dilectissimæ na-
tantes in Lachrymarum profluvio Oculos,
& esto mihi misero peccatori propitius!
ah! quam doleo! quam erubesco, quod Te
sumum bonum meum, DEUM meum to-
ties, ac tam graviter offenderim. Verum
Misericordia! Misericordia! quando toto
cordis affectu præterita summe detestor,
& in futurum cum Gratia tua meliora
propono! Nunc autem respice & Tu ô
Thaumaturga Gratiarum Mater MARIA!
respice has meas poenitentes Lachrymas,
quas mihi ex oculis eliciunt, & gravissimo-
rum peccatorum meorum detestatio, & Tuus
Tuique Dilectissimi Filii Dulcissimus Amor!
suscipe, ô Mater meas istas indignas licet,
& sceleribus inquinatas Lachrymas, easque
Tuis Sacratissimis mixtas Oculis Dulcissimi
Filii Tui representa, ut sic per Tuam In-
tercessionem, & Ejus Gratiam, ac Miseri-
cordiam a peccatis meis mundatus, post
hujus vitæ decursum una Tecum, ac Omni-
bus Sanctis, in Beatifica DEI Visione
vivere, ac lætari valem in æternum

A M E N.



HYMNUS

H Y M N U S
A D
B. V. MARIAM
P R O F E L I C I M O R T E .

MARIA Mater Numinis,
Aurora primi Luminis,
Imple meum cor lumine,
Tuoque reple Nomine.
Fac corde flammis faucio,
Tuo placere Filio,
Totis medullis expetam,
Fiantque, quæ piè petam.
Virgo Dei Puerpera,
Nostræ salutis tessera,
Tu cor meum sic posside,
Ut stet MARIA Præside.
In Mortis hora me rege,
Instarque Matris protege;
Nam tutus, & salvus est,
Qui te Patronam nactus est.
O quæ periclitantibus,
Tuis ades Clientibus,
Vitæ meæ sub exitum,
Meum tuere Spiritum. Amen.

Aut

Aut brevius

O MARIA, te amare,
Ad te corde aspirare,
Nunquam ego negligam.
Nulla mihi curret dies,
Nulla noctis fluet quies,
Quin te, Mater, diligam.
In te meum stat solamen,
Nam à te spero levamen,
O dulce præsidium.
Ne ad Orcum cogar ire,
Sed felix possim venire,
Ad Cœleste gaudium.

*Quandocunque ejus conspicis Iconem,
eam osculando pio cum affectu dic:*

OLachrymosa Virgo! ô chara Mater
DEI! nunc, & in hora mortis, sis
apud JESUM memor mei.



R E L A T I O

Compendiosa Miraculorum in Ecclesia
Pócsensi ab Anno 1715.
factorum.

Primum : Copiosa Lachrymatio intra
tres Dies.

Secundum : Imutatio vultus in nigredi-
nem tempore fletus Imaginis Sacrae.

Tertium : Oculi flentis Imaginis rubri
facti sunt tempore ejusdem fletus.

Vide supra in Inquisitione.

Quartum : Anno 1751. Domina Défsö-
ffy Filia nomine Veronica utrumque oculum
albumine infectum habens, visu penitus de-
stituta, postquam ad Templum Pócsense
ex Voto delata fuisset, convaluit, visuque
ex integro est restituta. *Quod Mater eius-
dem Anno ut supra. Die 2. Julii in Pócs
pie recognovit.*

Quintum : Una ex Filiabus Excell. ac
Illustr. Domini Comitis Joannis Barkotzi,
Incltyi Comit. Szabolcs. Supremi Comitis
graviter ægrotata, atque alienis manibus ex
Voto ad Templum Pócsense delata ex eo-
dem propriis pedibus sana egressa est. *Quod
Miraculum anno currente 1776. in Novembri
Excell. Domina Prætitulati Comitis Conjux in
Monasterio Pócsensi declaravit.*

Sextum : De reliquis in numeris testantur
anathemata apensa.